



Universitätsbibliothek Paderborn

Cvrsvs Theologici ...

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et
Varietas Patitvr ...

Quas Secunda Secundæ Et Tertia Pars Divi Thomæ Complectitvr -
Qvæstiones Insvper Ad Mores, & praxim spectantes, maximè circa
Sacramenta, accuratè declarantur

Carleton, Thomas Compton

Leodii, 1664

Sect. II. Alia quædam ad communicationem idiomatum spectantia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13826

moveri potuerit non moto Verbo. Respondetur, cum Verbum sit ubique, hoc non difficulter intelligi, unde humanitas cum sit limitata, mutare locum potest, Verbum non potest nec adæquatè, nec inadæquatè, cum necessariò semper sit in immensum diffusum.

VI.
Declaratur
quo pacto
moveri po-
tuerit hu-
manitas.
Verbo quoad
locum non
mutato.

Quòd vero moveri possit humanitas, Verbo non mutato secundum locum, non obstante unione illà substantiali, patet in corpore respectu animæ; si enim una pars corporis informata anima cum altera penetraretur, & sic moveret se ad aliam partem corporis per penetrationem, anima non moveretur, sicut nec corpus Christi, si hostia consecrata moveretur perfectè circulariter. Utrum autem per communicationem idiomatum dici possit motà loco humanitate, moveri & mutari Verbum, aliqui concedunt, sicut & Verbum dicitur mori, ambulasse, ascendisse, &c. aliqui tamen simpliciter hoc nolunt concedere, cum non usurpetur modus ille loquendi à Patribus, sicque simpliciter nunquam admitti volunt hanc propositionem Verbum est mutatum, quia sonat mutatum esse in se, sed ad summum mutatum esse per communicationem idiomatum.

VII.
Proprietates
unius natu-
ra non præ-
dicantur de
alià in ab-
stracto sum-
ptà.

Sicut ergo, quia hæc propositio est vera *Deus est homo*, proprietates hominis in concreto enuntiantur de Deo, & vicissim proprietates Dei de homine: ita quia hæc est falsa, *Deitas est humanitas*, non possunt attributa & proprietates unius naturæ prædicari de alià in abstracto sumptà; sic enim esset confusio naturarum: unde Divinitas prout hoc nomine importatur non est homo, passibilis, mortua, &c. sicut hæc propositio etiam in Divinis censetur falsa & hæretica, *Deitas generat*; hæc enim & similes propositiones innunt sententiam formalem, & ista omnia competere Divinitati secundum se, & non in sensu solùm identico. Licet verò hæc propositio, *Deitas est incarnata*, usurpetur à Patribus, non tamen hæc, *Deitas facta est homo*; sensus enim illius propositionis solùm est Divinitatem unitam esse humanitati, non tamen quicquid unitur humanitati sit homo, si formaliter loquamur, sed illud solùm quod unitur per modum suppositi.

VIII.
Ad prædica-
tiones his de
verbis rectè
faciendū
adverbiū
est commu-
nis verbo-
rum sensus.

In his ergo & similibus propositionibus, cum controversia præcipuè sit de modo loquendi, semper advertendum quid juxta communem usum verba importent: unde generatim loquendo omnes hujusmodi prædicationes in abstracto censentur falsæ, *Christus*, seu *hic homo est Deitas*, quamvis in sensu materiali sit vera, cum hic homo sit Persona Divina, & Persona Divina realiter identificetur cum Deitate, quo etiam sensu veræ censentur hæ & similes propositiones, *Paternitas est essentia*: *intellectus est voluntas*; & similes, quæ tamen formaliter loquendo sunt falsæ.

SECTIO SECUNDA.

Alia quedam ad communicationem idiomatum spectantia.

I.
Ha propositio-
nes, Christi-
us est hu-
manitas,
Christus est
anima,
Christus est
caro, sunt
falsæ.

QUÆRES: Utrum sicut hæc propositio est falsa *Christus est humanitas*, sive in sensu formali intelligatur, sine identico, ita etiam hæc censeri debeat falsa *Christus est anima*, *Christus est caro*. Communiter dici solent hæ propositiones esse falsæ, quia sumuntur prædictæ voces in abstracto sicut humanitas, & in his standum est

communi modo accipiendi hos & similes terminos, licet fortasse in rigore, si aliter acciperentur, sicut accipi possent, non omnino alienæ essent à vero sensu.

Quicquid verò essentialiter convenit Deo, vel personaliter Verbo, prædicatur verè de Christo, non tamen propositiones notionales Patris aut Spiritus Sancti. Unde verum est Christum esse Deum, omnipotentem, ab æterno, &c. item æternaliter genitum, &c. quia scilicet hæc competunt Verbo: quia verò Verbum non est Pater vel Spiritus Sanctus, propterea nec Christus est Pater vel Spiritus Sanctus, nec quæ ipsorum propria sunt, enuntiatori de illo cum veritate possunt. Priores verò propositiones, si addatur reduplicatio, sunt falsæ; ut hæc, *Christus in quantum homo est æternus, immensus, æternaliter genitus, &c.* quia in istis ex modo accipiendi reduplicatur humanitas, & significatur hæc Christo secundum illam competere. Sicut è contra hæc sunt falsæ, *Christus ut Deus est, passus mortuus, &c.* In hac verò Christus ut homo est Deus, si reduplicetur suppositum, propositio est vera, communitor tamen particula *ut* reduplicat naturam & formam.

Hinc tandem infero, sicut quia Christus est Deus omnia quæ de Deo essentialiter dicuntur, competunt Christo; ita quia Deus est homo, essentialia prædicata & actiones ac passiones humanæ naturæ enuntiatori posse verè de Deo, ut *Deus redemit nos in sanguine suo*; *Deus ascendit in altum*; *Deus est mortuus, &c.*

Nonnullæ tamen sunt propositiones, quæ licet fortè verum sensum habere possint, simpliciter tamen admitti non vult S. Thomas sine aliâ quâ determinatione: unde has rejicit articulo 8. *Christus est creatura*; *Christus est minor Patre*, nisi addatur secundum humanam naturam, quia sonare videtur hæresim Arianorum, cum hæreticis autem nec nomina debemus, inquit, habere communia. Alii tamen Patres hujusmodi propositiones usurpant, quare S. Leo Serm. 3. Pentecost. *Si homo, inquit, ad imaginem Dei factus, legem Dei servasset, creator hominum creatura non fieret*; quo etiam modo loquitur S. Augustinus, & alii.

Dices: Christus est Verbum, si ergo Christus est creatura, Verbum erit creatura. Negatur sequela, mutatur namque suppositio; quando enim Christus dicitur creatura, non sumitur materialiter pro supposito, sed formaliter pro toto composito, & fit tacita reduplicatio supra naturam humanam, sicut cum dicitur *album est quale*, *disgregat visum*, &c. talia enim sunt subjecta, qualia permittuntur à suis prædicatis, ut docent dialectici: quando autem dicitur Christus Verbum, aut Verbum creatura, subjectum sumitur pro solo supposito. Potest tamen; ut notat Suarez in Commentario ad articulum 8. Verbum eo modo dici creatura, quo dicitur homo; sicut enim propterea est homo, quia terminat naturam humanam, ita propterea dici poterit creatura, quia terminat naturam creatam, ut supra vidimus ex sancto Leone, & aliis Patribus: vox enim *create*, ut notat sanctus Hieronymus, secundum sensum in Scripturâ sacrâ usitatum, non significat semper simpliciter fieri quod non erat, sed quod erat fieri tale: simpliciter enim hæ & similes propositiones non sunt usurpandæ propter æquivocationem in iis latentem.

Similiter quoad hanc propositionem, quam negat S. Thomas art. 9. *Christus, seu hic homo*

II.
Propositio-
nes notiona-
les Patris
aut Spiritus
Sancti non
prædicantur
de Christo.

III.
Actiones
omnes &
passiones hu-
manæ natu-
ræ Christi
enuntiatori
possunt de
Deo.

IV.
Dici, inquit
S. Thomas,
non debet
Christus est
creatura, aut
minor Patre,
nisi adde-
tur, secun-
dum huma-
nam natu-
ram.

V.
Quærens
admittere
tunc præ-
positio,
Christus est
creatura,
non tamen
sequitur,
Verbum est
creatura.

VI.
Quo sensu
dici possit
Verbum
creatura.

VI.
Quid de hac
propositione
incipit

Christus, seu hic homo incepit esse, non nisi convenit inter Patres.

incepit esse, dicit S. Fulgentius lib. de Incarnatione cap. 10. Verbum incepit esse Christus, Verbum tamen mansit æternum, & caro in ipso sumpsit initium: ex quo constat quoad rei veritatem quid teneri in hac re possit, simpliciter tamen neganda est hæc propositio absolute prolata, quia tunc solum dicitur aliquid simpliciter incipere esse, quando præcipuum suum esse acquirit. Unde vera est hæc propositio, *Deus factus est homo*, hæc è contra habetur falsa, *Homo factus est Deus*, quia supponit, ex modo significandi hunc hominem prius fuisse, quam fuit Deus.

VII. Christo, nec per communicationem idiomatum vera unquam contradictoria possunt competere.

Hinc solum noto, quia opposita & contradictoria prædicata de Christo ratione hujus mysterii enunciantur, vera tamen contradictoria non posse, nec per communicationem idiomatum ipsi competere; nunquam enim idem affirmatur & negatur de eodem secundum idem: unde quia

hæc est vera *Christus fuit ab æterno*, contradictoria est falsa, *Christus non fuit ab æterno*, si autem intelligatur reduplicative de Christo secundum humanitatem, est vera, ut diximus, quia humanitas non fuit ab æterno. Hæc notanda sunt circa modum loquendi in hoc mysterio, qua in re nunquam nimis cauti esse possumus, nam ut ex sancto Hieronymo refert S. Thomas quest. 16. art. 8. Corp. *Ex verbis inordinate prolatis incurritur hæresis.*

Quoad unitatem Christi, de qua S. Thomas quest. 17. dicendum, simpliciter in Christo dari unum esse, non tamen omnino simplex, sed per unionem substantialem naturæ humanæ cum personâ Verbi. Quomodo autem humanitas Christi non existat per existentiam Verbi, ostensum est supra, Disputatione quadragesimâ nonâ, sectione primâ.

VIII. Quo pacto, Christus fuit unus.

DISPUTATIO QUINQUAGESIMA SEPTIMA.

De voluntate & merito Christi.

SECTIO PRIMA.

De iis quæ ad Christi voluntatem pertinent.

I. Sicut in Christo duas voluntates.



PRIMUM, quod circa voluntatem Christi inquit sanctus Thomas, est an in Christo fuerint duæ voluntates. Hac in re Apolliparis, qui negabat in Christo esse animam rationalem, negabat consequenter voluntatem in eo creatam. Monothelita obscure loquebantur, ipsorum tamen hæresis in hoc sita erat, vel quod concessâ naturâ humanâ in Christo negarent in eo voluntatem, vel quod omnem illius tollerent operationem.

II. Fide certum est duas in Christo fuisse voluntates.

Dicendum nihilominus in Christo duas fuisse voluntates, humanam & divinam, seu duas naturas, ad operandum proportionato sibi modo expeditas. Conclusio est de Fide, & definita in 6. ac 7. Synodo: Item Luca 22. ait Christus; *Non mea voluntas sed tua fiat*; & alibi: *Descendi de caelo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me.* Ratio est, quia voluntas & proprietates sequuntur naturam, non Personam, quare in divinis, licet sint tres Personæ, una tantum est voluntas; ergo è contra cum in Christo sint duæ naturæ, quamvis una tantum sit Persona, erunt in eo duæ voluntates. Quod etiam fuerit voluntas humana in Christo, probatur, venit enim ut per merita sua nos a peccato eriperet, mereri autem nisi per voluntatem creatam non potuit. Quod etiam habuerit voluntatem, non solum quoad potentiam proximè expeditam, sed

Voluntas naturam, non personam sequitur.

etiam quoad actum & exercitium, probatur, Meruit nobis Christus reconciliationem cum Deo, nosque verè redemit, factus obediens usque ad mortem, quod sine actibus humanæ voluntatis fieri nullo modo potuit. Nec obedientiam tantum, sed omnium etiam aliarum virtutum operationes elicit, iis exceptis quæ peculiarem cum ipso repugnantiam involvunt.

Vera etiam tristitia in anima Christi fuit, tum in horto, tum præcipue in cruce, quam expressit illis verbis, *Deus meus, Deus meus ut quid dereliquisti me.* Quo pacto verò stare hæc poterit cum gaudio beatifico, gravis multis Theologis visa est difficultas. Cano ut hoc fieret, dicit Christum impedivisse per intervalla gaudium beatificum, ut locum daret tristitiæ: quam tamen sententiam rejicit Suarez ut omnibus Theologis contrariam; & probatur ex loco illo Canticorum, c. 3. *Egredimini filie Sion, & videte Regem Salomonem in diademate quo coronavit illum mater sua in die desponsationis illius, & in die lætitiæ cordis ejus: quem locum de spineâ coronâ, & de die passionis intelligunt S. Gregorius Nissenus, Sanctus Bernardus, S. Thomas, & alii, qui diem passionis fuisse Christo verè diem lætitiæ affirmant.*

III. Vera in Christi anima fuit tristitia.

Christus gaudium beatificum nunquam impedivit.

Deinde, si hæc ratio Cui quidquam probet, probaret Christum per magnum vitæ spatium fuisse gaudio beatifico orbatum, cum totâ penè vitâ tristitiam senserit Christus ob hominum peccata. Præterea eodem modo asserere quis posset Christum non fuisse perfectè beatum quoad animam, sed ad aliquod etiam tempus intermisisse visionem beatificam, ut plus pateretur, cum

IV. Varia incommoda ex sententiâ Cui dicitur Christum per intervalla intermisisse gaudium beatificum.